



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 129. Vtrum si innotesceret euidenter Deu[m] esse veracem, & reuelasse mysteria, innotescerent euidenter etiam ipsa mysteria reuelata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

potuisse partim fieri; partim fingi à dæmoni-  
bus illudentibus sensus hominum; ergo est  
quidem euidenter credibile, & credendum, sed  
non est euidenter, religionem christianam fuisse  
confirmatam per vera miracula, ideòque de  
facto plurimi ex ethnicis videntes miracula,  
imprudenter asseruerunt illa fuisse miracula,  
non vera, sed apparentia.

33. Dices tertio: euidenter est aliquam reli-  
gionem mundi esse veram; sed euidenter est om-  
nes alias sectas, excepta religione christiana, &  
catholica, esse falsas; ergo &c.

34. Respondeo, negando minorem. Nam  
saltem non est euidenter falsum esse philoso-  
phismum, hoc est sectam dicentium illud so-  
lum credi debere, quod probatur lumine na-  
turali, cætera omnia fuisse conficta, licet hoc  
prudenter credi non possit.

35. Dices quarto: euidenter est Deum non  
posse obligare ad religionem falsam; sed eu-  
dens est nos obligari ad religionem christia-  
nam, & catholicam; ergo &c.

36. Respondeo, distinguo maiorem; eu-  
dens est Deum non posse directè obligare ad  
religionem falsam, concedo: euidenter est Deum  
non posse permittere, vt per accidens obligetur  
quis ad religionem falsam, nego. Potest  
imprudenter dubitari, vtum Deus possit per-  
mittere, vt obligemur ad sequendam religio-  
nem falsam, eo pacto, quo potest permittere,  
& sæpè permittit, vt multi obligentur ad ha-  
bendos, & honorandos tanquam parentes eos,  
qui verè non sunt ipsorum parentes.

37. Dices quinto: euidenter est Deum non  
potuisse permittere, vt Dæmon per falsa mi-  
racula illuderet toti generi humano, ita vt ho-  
mines obligarentur ad sequendam religionem  
christianam, si religio christiana esset falsa.

38. Respondeo, distinguo antecedens; eu-  
dens est Deum in pœnam alicuius peccati,  
quod infecerit totum genus humanum, non  
potuisse permittere, vt Dæmon per falsa mi-  
racula illuderet toti generi humano, nego; &  
non in pœnam alicuius peccati, transeat. Non  
est euidenter Deum in pœnam alicuius peccati,  
quod infecerit totum genus humanum, eo pa-  
cto, quo nos christiani credimus peccatum  
originale infecisse totum genus humanum,  
non potuisse totum genus humanum tradere  
potestati dæmonum, permittendo, vt per fal-  
sa miracula posset obligari ad sequendas sectas  
falsas; ergo potest, non quidem prudenter, sed  
imprudenter de hoc dubitari.

39. Addo primò, hæc non posse, nisi im-  
prudenter responderi. Verum ex hoc sequi-  
tur quidem religionem christianam esse eu-  
denter credibilem, & credendam, sed non se-  
quitur illam esse euidenter veram.

40. Addo secundò argumenta allata pro  
religione christiana, & catholica, posse ab ali-  
quo ita penetrari, vt conuincatur de veritate  
christianæ religionis, vt dicitur quæst. 130.

41. Pro complemento libet proponere, &

soluere sophisma celebre in hac materia, quod  
affertur etiam à Cardinali de Lugo disp. 5. sect.  
2. num. 29. Religio euidenter falsa est eu-  
denter incredibilis; ergo religio euidenter credi-  
bilis est euidenter vera; sed religio christiana est  
euidenter credibilis; ergo est euidenter vera.  
Probatur prima consequentia; in qua sola est  
difficultas. Nam est regula summulistica, quod  
cum ex aliquo antecedenti sequitur aliquid  
consequens, ex opposito talis consequentia se-  
quitur oppositum illius antecedentis; ex. gr.  
quia valet, est homo; ergo est animal, valet etiam,  
non est animal; ergo non est homo; sed ex hoc an-  
cedenti: hæc secta est euidenter falsa, sequitur, ergo  
est euidenter incredibilis; ergo ex opposito conse-  
quentis, quod est, hæc secta est euidenter credibilis,  
sequitur, ergo hæc secta est euidenter vera, quod est  
oppositum antecedentis.

42. Respondeo regulam summulisticam  
esse, quod quia antecedens non potest esse ve-  
rum, quin consequens sit verum, si consequens  
non est verum, sed falsum, etiam antecedens  
non est verum, sed falsum; & quia antecedens  
non potest esse falsum, quin eius contradicto-  
rium sit verum, si falsum est consequens, ve-  
rum est contradictorium antecedentis. E con-  
uerso, quia potest esse falsum antecedens, quin  
sit verum eius contrarium, siquidem est regu-  
la summulistica, quod contraria possunt esse  
simul falsa, licet non possint esse simul vera,  
ideò ex eo, quod falsum sit consequens, & ve-  
rum sit contradictorium, vel etiam contra-  
rium consequentis, non sequitur verum esse  
contrarium antecedentis. In casu igitur no-  
stro valet: Religio euidenter falsa est euidenter  
incredibilis; ergo religio euidenter credibilis non est eu-  
denter falsa: hoc enim est contradictorium an-  
tecedentis; at non valet, ergo religio euidenter  
credibilis, est euidenter vera: nam hoc non est co-  
tradictorium, sed contrarium antecedentis; si-  
quidem potest contingere, vt aliqua religio  
neque sit euidenter vera, neque sit euidenter  
falsa, sed vtumque sit ineuidens.

## QVÆSTIO CXXIX.

*Virum si innotesceret euidenter Deum esse  
veracem, & reuelasse mysteria, in-  
notescerent euidenter etiam ipsa  
mysteria reuelata?*

1. Videtur vera sententia Caietani 2.  
quæst. 5. art. 1. Vasquez 1. parte, disp.  
135. cap. 3. P. Michaelis de Elhaldia lib. de for-  
ma inueniendæ veræ religionis, quæst. 19. num.  
341. & aliorum docentium ex euidentia in at-  
testante, per quam nimirum innotescat eu-  
denter Deum, qui est veritas infallibilis, reue-  
lasse mysteria, non sequi euidentem attestato-  
rum, per quam cognoscantur euidenter ipsa  
myste-

myſteria; primo, quia licet imperiti mathema-  
tica, & non percipientes demonſtrationes Eu-  
clidis, habeant euidentiã moralem de hoc,  
quod omnes mathematici teſtantur veras eſſe  
demonſtrationes Euclidis, & quod eorum te-  
ſtimonium non poteſt eſſe falſum, & proinde  
veræ ſunt omnes propoſitiones Euclidis, tamẽ  
non habent euidentiã de ipſis propoſitioni-  
bus Euclidis, cum illas non percipiant, neque  
intelligant; ergo etiamſi haberemus euiden-  
tiã de hoc, quod Deus, qui eſt veritas infal-  
libilis, reuelauit myſteria, puta, quod Deus  
eſt trinus, & vnus, quod Verbum eſt incarna-  
tum, quod Chriſtus eſt in Euchariſtia, adeo-  
que quod hæc myſteria ſunt vera, ramen quia  
non percipimus, & intelligimus ipſa myſteria,  
non haberemus euidentiã de myſterijs reue-  
latis.

2. Secundo quod non eſt euidens per mo-  
dum principij ex terminis, aut per cogniti-  
onem intuitiuã, non poteſt fieri euidens, niſi  
per demonſtrationem; ſed myſteria reuelata,  
puta quod Deus ſit trinus, & vnus, non ſunt  
euidentiã per modum principij ex terminis, vel  
per cognitionem intuitiuã, vt ſupponitur; ergo  
non poſſunt fieri euidentiã, niſi per de-  
monſtrationem; ſed omnis demonſtratio, vel  
eſt à priori per cauſam, vel à poſteriori per ef-  
fectum, vt docet Ariſtoteles 1. Poſteriorum,  
text. 30. quem ſequuntur omnes; ergo myſte-  
ria non poſſunt fieri euidentiã, niſi per demon-  
ſtrationem, qua demonſtrentur per cauſam,  
vel effectum; ſed dum probantur per diuinã  
reuelationem, neque probantur per cauſam,  
neque per effectum, ſed per medium purẽ ex-  
trinſecum, quod non ſufficit ad cauſandã eu-  
dentiã; ergo probatio, qua myſteria proban-  
tur per diuinã reuelationem, non ſufficit ad  
cauſandã euidentiã myſteriorum.

3. Tertio, & in idem recidit, euidens co-  
gnitio rei non poteſt cauſari, niſi vel ab ipſa re,  
vel à cauſis, aut effectibus habentibus propor-  
tionem, aut cognationem cum re, à medijs  
autem purẽ extrinſecis, ac non habentibus pro-  
portionem, & cognationem cum re, cauſari  
non poteſt; ſed diuinã reuelatio eſt medium  
purẽ extrinſecum, & non habens proportio-  
nem, vel cognationem cum myſterijs reuela-  
tis; ergo diuinã reuelatio non poteſt cauſare  
cognitionem euidentiã myſteriorum reuela-  
torum.

4. Quarto nullum medium poteſt redde-  
re euidentes omnes concluſiones faciles, ac  
difficiles; ſed diuinã reuelatio, ſi poſſet redde-  
re euidentiã myſteria reuelata, poſſet æquẽ red-  
dere euidentes omnes concluſiones, tum faci-  
les, tum difficiles; ex. gr. redderet æquẽ eu-  
dens, quod Tobias habuit canem, quod eſt fa-  
cillimum creditu, ac quod Deus eſt trinus, &  
vnus, quod eſt creditu difficillimum; ergo di-  
uinã reuelatio nullum myſterium poteſt red-  
dere euidens.

5. Quinto medium, per quod res non po-  
teſt percipi, atque intelligi, non poteſt rem-

reddere euidentiã, cum non poſſimus habere  
euidentiã de rebus, quas non percipimus, ne-  
que intelligimus; ſed reuelatio purẽ extrinſe-  
ca eſt medium, per quod myſteria Trinitatis,  
Incarnationis, Euchariſtiæ &c. non poſſunt  
percipi, neque intelligi; ergo &c. Probatur mi-  
nor: intelligere enim, vt docet S. Thomas 2.  
2. quæſt. 8. art. 1. in corpore, eſt *quasi intus lega-  
re*; ergo vt rem intelligamus, debemus pene-  
trare prædicatã intrinſeca rei; ſed prædicatã in-  
trinſeca rei non poſſumus penetrare, niſi ſe  
manifeſtent, vel per ſe ipſa, & per ſpeciem  
propriã, & tunc de ipſis habemus euiden-  
tiã immediatã, & intuitiuã, vel per cau-  
ſas, & effectus habentes cognationem, & ſimi-  
litudinem cum ipſa re, & tunc de ipſis habe-  
mus euidentiã demonſtratiuã; ergo præ-  
dicatã intrinſeca rei non poſſunt manifeſtari  
per reuelationem purẽ extrinſecam, quæ ne-  
que eſt ipſa res, neque eſt cauſa, vel effectus rei  
reuelatã.

6. Reſpondeo duas poſſe fieri quæſtiones.  
Prima quæſtio de re eſt, vtum euidentiã in  
atteſtante conuincat intellectum de atteſtatis,  
hoc eſt, vtum cum intellectus habet euiden-  
tiã de hoc, quod Deus, qui eſt veritas infal-  
libilis, reuelauit aliquod myſterium, itaut con-  
uincatur, & neceſſitetur ad aſſentiendum re-  
uelationi, conuincatur etiam, & neceſſitetur  
ad aſſentiendum myſterio reuelato.

7. Reſpondendum affirmatiuẽ cum com-  
muni ſententiã omnium penẽ authorum, etiã  
Caietani, & Vaſquez 1. parte, diſput. 125. cap. 3.  
Probatur primò ex Caietano; nam vt dicitur  
Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, adeo-  
que coguntur ad credenda, & conſtitenda my-  
ſteria fidei, puta Deum eſſe trinum, & vnum,  
Chriſtum eſſe Deum, iuxta illud Pauli ad Phi-  
lippenſes 2. *In nomine Ieſu omne genuflexatur cœ-  
leſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua  
conſiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria  
eſt Dei Patris*; ſed, vt dicit S. Thomas 3. parte  
quæſt. 77. artic. 2. in corpore, *Dæmones cre-  
dunt conuicti per euidentiã ſignorum, quæ  
faciunt ſolum euidentiã in atteſtante, nimirum  
de hoc, quod Deus, qui eſt prima veritas, re-  
uelauerit myſteria; ergo euidentiã in atteſtante  
poteſt conuincere intellectum de atteſtatis, ac  
reuelatis, itaut cogatur ad aſſentiendum illis.*

8. Probatur ſecundò; nam cum intellectus  
conuincitur de præmiſſis, & de bonitate illa-  
tionis, ſeu conſequentiæ, conuincitur etiam  
de conſequenti illato; ſed per euidentiã in at-  
teſtante intellectus conuincitur de iſtis præ-  
miſſis, *Deus eſt veritas infallibilis, ac proinde quid-  
quid dicit eſt verum: Deus dicit ſe eſſe trinum, &  
vnum*; conuincitur etiam de bonitate illatio-  
nis, ſeu conſequentiæ, per quam ex talibus  
præmiſſis inferitur, Deum eſſe trinum, & vnum,  
Verbum eſſe incarnatum &c. ergo conuincitur  
etiam de conſequenti, hoc eſt de hoc, quod  
Deus eſt trinus, & vnus, Verbum eſt incarna-  
tum &c.

9. Secunda quæſtio, quæ aliquid habet de  
nomi-

nomine, est, vtrum euidentia in attestante non solum conuincat intellectum de attestatis, sed etiam reddat euidentia ipsa attestata.

10. Respondeo affirmatiuè cum Suario disput. 3. de Fide, sect. 3. num. 2. Cardinali de Lugo disput. 2. de Fide, sect. 1. num. 9. alijsque communiter, contra authores relatos in primo argumento.

11. Probatur primò; nam sola euidentia, habet vim conuincendi, & necessitandi intellectum ad assentiendum obiecto sine vlla dubitatione: sed euidentia in attestante habet vim conuincendi, & necessitandi dæmones ad assentiendum sine vlla dubitatione Trinitati, Incarnationi, alijsque mysterijs reuelatis; ergo &c.

12. Probatur secundò; nam euidentia ex ipsa nominis etymologia est, per quam intellectus conuincitur, & necessitatur ad assentiendum obiecto, quia videt obiectum, vel in se ipso, vel in alio essentialiter connexo cum tali obiecto; & quidem euidentia, per quam intellectus videt obiectum in se ipso, est euidentia immediata; euidentia, per quam intellectus videt obiectum in præmissis, earumque connexionem cum tali obiecto, est euidentia mediata; sed cum intellectus habet euidentiam de istis duabus præmissis, *Deus est veritas infallibilis, ideoque quicquid dicit est verum: Deus dicit se esse, trinum, & vnum*, & habet euidentiam de connexionem, seu necessitate, per quam illæ duæ præmissæ non possunt esse veræ, quin Deus sit trinus, & vnus, conuincitur, & necessitatur ad assentiendum, quod Deus est trinus, & vnus, quia in illis præmissis, vt essentialiter connexis cum conclusione, videt Deum esse trinum, & vnum; ergo &c.

13. Probatur tertio: nam eatenus in demonstratione à priori per causam innotescit euidenter effectus, & in demonstratione à posteriori per effectum innotescit euidenter causa, quatenus in connexionem euidenter cognita causa cum effectum, videtur mediata effectus, & in connexionem effectus cum causa, videtur mediata causa; sed etiam in connexionem euidenter cognita reuelationis, qua Deus reuelauit se esse trinum, & vnum, videtur mediata Deum esse trinum, & vnum; ergo etiam per diuinam reuelationem euidenter cognitam innotescit euidenter mysterium reuelatum. Confirmatur: nam cum connexio reuelationis cum obiecto reuelato non sit minor, quam connexio causæ cum effectum, puta interpositionis terræ cum eclipsi Lunæ, sicut per causam essentialiter connexam potest euidenter innotescere effectus, sic per reuelationem essentialiter connexam potest euidenter innotescere obiectum reuelatum.

14. Probatur quartò: nam diuina reuelatio, qua Deus reuelauit se esse trinum, & vnū, est effectus essentialiter pendens, tanquam à causa, à Deo, prout sciente se esse trinum, & vnum; sed, vt aduersarij concedunt, per effectum potest euidenter innotescere causa, à

qua talis effectus pendet essentialiter; ergo per reuelationem potest euidenter innotescere scientia, qua Deus cognoscit se esse trinum, & vnum; sed per scientiam Dei euidenter cognitam potest euidenter innotescere obiectum affirmatum per talem scientiam, cum perfectissime contineat hoc obiectum; ergo à primo ad vltimum per reuelationem potest euidenter innotescere obiectum, vt magis patet ex solutione obiectionum.

15. Ad 1. distinguo antecedens; impenitenti mathematicæ per testimonium mathematicorum non habent euidentiam de propositionibus Euclidis secundum rationes, secundum quas apparent euidenter, vt connexæ cum testimonio mathematicorum, nego; secundum alias rationes, concedo; & nego consequentiam. Cum præmissæ sunt euidenter, & apparent euidenter vt connexæ cum aliqua conclusione secundum aliquam rationem formalem, illa conclusio innotescit euidenter secundum illam rationem formalem, non autem secundum alias; E. g. si testimonium mathematicorum appareat euidenter vt connexum cum hoc, quod omnes propositiones Euclidis in genere, non autem in specie sunt veræ, innotescit euidenter solum, quod omnes propositiones Euclidis in genere, non autem in specie sunt veræ: si testimonium mathematicorum appareat euidenter vt connexum cum hoc, quod est vera hæc propositio in specie, *cuiuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus relictis*, non autem cum alijs propositionibus in specie, innotescit euidenter solum illa propositio in specie, non autem alia. Proportionaliter per diuinam reuelationem, quæ euidenter appareat connexa solum cum hoc, quod nostra religio est vera, innotescit euidenter solum, quod nostra religio est vera; per reuelationem, quæ appareat connexa cum hac propositione in specie, *Deus esse trinus, & vnus*, innotescit euidenter, quod Deus est trinus, & vnus, sub hac ratione formali, sub alijs rationibus formalibus non innotescit euidenter. Confirmatur: nam quia creaturæ apparent euidenter vt connexæ cum Deo solum quoad vnitatem essentialis, non autem quoad Trinitatem Personarum, Deus per creaturas innotescit euidenter solum quoad vnitatem essentialis, non autem quoad Trinitatem Personarum; ergo proportionale quid accidit in casu nostro. Adde, quod sicut communiter dicitur Deum per creaturas innotescere euidenter solum quoad *an est*, non autem quoad *quid est*, quia ad cognitionem quidditativam, quæ sola dicitur cognoscere *quid est*, requiritur, vt sit per species proprias rei, vel saltem per species alicuius continentis adæquatè talem rem: sic ex proportionali ratione per diuinam reuelationem Trinitas, & alia mysteria cognoscerentur euidenter solum quoad *an est*, non autem quoad *quid est*.

16. Ad 2. nego vltimum assumptum, ac dico, quod dum mysteria probantur per diuinam

nam reuelationem, probantur per effectum, adeoque per demonstrationem à posteriori, ut dictum num. 14, in quartâ probatione conclusionis. Adde primò, quod sicut demonstratio à priori est per causam, & per omnia, quæ quomodolibet sunt priora re, dummodo sint cum illa essentialiter connexa; sic demonstratio à posteriori est per effectus, & per omnia, quæ sunt quomodolibet posteriora, vel etiam comitantia rei, dummodo sint cum illa essentialiter connexa; ergo &c. Adde secundò demonstrationem posse fieri per medium etiam purè extrinsecum; alioquin Deus non posset demonstrari per creaturas, quæ sunt medium purè extrinsecum Deo.

17. Ad 3. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod reuelatio est medium purè extrinsecum, sed habens essentialem connexionem cum mysterijs reuelatis, quæ essentialis connexio est cognatio, & proportio sufficiens ad causandam euidentiã de re, cum qua datur talis connexio. Adde, quod reuelatio habet cum obiecto reuelato etiam connexionem effectus cum causa, ut dictum est in num. 14.

18. Ad 4. distingo maiorem: nullum medium genericè vnum potest reddere euidentes omnes conclusiones faciles, & difficiles; nego; nullum medium specie infima vnum, transeat; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sicut multæ sunt species obiectorum reuelabilium conuenientes in genere obiecti reuelabilis, sic multæ sunt species reuelationum conuenientes in genere reuelationis; reuelatio autem cuiuslibet obiecti, si innotescat euidenter, potest causare euidentiã de tali obiecto, non autem de alio; e.g. reuelatio de Trinitate, si innotescat euidenter, causat euidentiã de Trinitate, non autem de Incarnatione; reuelatio de Incarnatione causat euidentiã de Incarnatione, non autem de Trinitate.

19. Ad 5. distingo maiorem: medium per quod res non potest percipi, neque intelligi secundum vllam rationem formalem, non potest rem reddere euidenter secundum vllam rationem formalem, concedo; medium per quod res non potest percipi, neque intelligi secundum aliquas rationes formales, sed potest percipi secundum alias, non potest reddere rem euidenter secundum illas rationes formales, secundum quas potest percipi, & intelligi, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Per reuelationem, qua reuelatur Deum esse trinum, & vnum, Deus percipitur, & intelligitur secundum istam rationem formalem, *Deus est trinus, & vnus*; ergo secundum istam rationem formalem potest euidenter cognosci, licet non secundum alias. Confirmatur argumentum; nam quia Deus per creaturas purè extrinsecas percipitur quoad *an est*, & quoad plures alias rationes formales, innotescit euidenter quoad *an est*, & quoad plures alias rationes formales;

ergo idem dicendum in casu nostro. Porro sicut per creaturas purè extrinsecas possumus penetrare, & intus legere, adeoque intelligere illa prædicata intrinseca Dei, cum quibus creatura euidenter apparent vt connexa, sic per reuelationem purè extrinsecam possumus penetrare, & intus legere, ac proinde intelligere illa prædicata intrinseca Dei, cum quibus reuelatio apparet vt connexa.

### QVÆSTIO CXXX.

*Virum à non vidente Deum possit euidenter cognosci Deum loqui, & de facto ab aliquibus credentibus euidenter cognoscatur?*

1. **V**idetur vera sententia Bannez 2.2. q. 1. art. 3. docentis, quod qui Deum non videt, non potest immediatè euidenter cognoscere Deum loqui; primò qui non videt hominem loquentem, non potest euidenter immediatè cognoscere illum loqui; ergo qui non videt Deum loquentem, non potest euidenter immediatè cognoscere Deum loqui.

2. Secundò actus immanentes, ac liberi Dei non possunt immediatè, ac euidenter cognosci, Deo non viso: sed diuina locutio consistit in aliquo actu immanente libero diuini intellectus, vel diuinæ voluntatis; ergo &c.

3. Tertiò videtur, quod neque per signa possit euidenter mediatè cognosci Deum loqui. De quolibet enim signo potest saltem imprudèter dubitari, vtrum sit positum à Dæmone transfigurante se in Angelum lucis; ergo per illud non potest euidenter cognosci Deum loqui, non autem Dæmonem.

4. Quarto si dicatur, Dæmonem non posse facere miraculum, puta suscitare mortuum, adeoque si fiat miraculum ad probandū aliquid fuisse reuelatum à Deo, euidens esse, quod illud à Deo fuerit reuelatum: contra est, quia si Deus dedisset alicui potestatem faciendi aliqua miracula, puta illuminandi cæcos, posset ille aburi tali potestate, illuminando cæcos ad persuadendum Deum reuelasse aliquid falsum dogma, puta Christum non esse in Eucharistia; ergo neque ex miraculis euidenter cognoscitur diuina reuelatio; eo pacto, quo licet Christus suscitauerit Lazarum in testimonium suæ Deitatis, non euidenter probauit suam Deitatem, ideoque Iudæi crediderunt quidem Christum fecisse miraculum suscitandi Lazarum, at non crediderunt Christum esse Deum.

5. Quintò videtur, quod saltem signa credibilitatis, quibus Deus de facto confirmauit se reuelasse nostram religionem, non sufficiant ad probandum euidenter nostram religionem fuisse reuelatam à Deo. Deus enim posuit talia signa ad generandam in nobis fidem, quæ non euidenter, sed solum obscure credamus nostram